

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
DE
ASPHYXIA, OPHTHALMIA,
ET
APHTHIS NEONATORUM,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS,
NEC NON
INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE
PRO
DOCTORIS GRADU RITE OBTINENDO
IN
ALMA AC CELEBERRIMA
REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE PESTIENSI
PUBLICAE DISQUISITIONI
SUBMITTIT

CAROLUS SPÉCZ

HUNGARUS KISMARTONIENSIS,

Artis obstetriciae Magister, et Professoris artis obstetriciae
in R. S. U. Pestiensi Assistens.


Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universitatis
majori die 8. Junii 1833.

BUDA E,

TYPIS REGIAE SCIENT. UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

**Non potest scire, quomodo morbos curare
conveniat, qui unde hi sint, ignoret.**

Cornelii Celsi Lib. I.



EXCELLENTISSIMO,

A C.

ILLUSTRISSIMO

DOMINO


GABRIELI COMITI KEGLEVICH

DE BUZIN,

S. C. ET R. A. M. CAMERARIO, ACTUALI INTIMO STATUS,
ET AD EXC. CONSILIUM R. L. H. CONSILIARIO, S- CORONAE
REGNI HUNGARIAE CONSERVATORI, VICE-THESAURARIO
REGIO, AC EXC. CAMERAE R. H. AULICAE PRO - PRAESIDI
NEC NON INCLYTI COMITATUS NEOGRADIENSIS
SUPREMO COMITI.

IN
GRATAM MEMORIAM
UT
STRENUI OFFICII PIGNUS

HAS
LABORUM LITERARIO-MEDICORUM
PRIMITIAS
D. D. D.
AUCTOR.



Excellentissime,

a c

Illustrissime Domine Comes!

Quam pro Doctoris in arte medendi honore obtinendo inauguralem conscripsi Dissertationem, typis excusam, ea, qua par est, reverentia, Tibi Excellentissime Domine Comes! profunda cum veneratione offero, tamquam perennis meae in Te pietatis tesseram, ac devotionis publicum, quale tenuitas mea statuere potest, monumentum. Verebar equidem in principio, Nomini tam illustri has literariorum laborum meorum primitias inscribere: nec fas esse ducebam, excelsum Tuum animum, saluberrimis Pro-Praesidii Exc. Cameræ R. H. A. non minus, ac gravissimis Reipublicae curis occupatum, conamine meo a negotiis publicis remorari; cum tamen insignem Tuam benignitatem, qua bonas artes, ac scientias, harumque Cultores, ut J. Studiorum Commissionis antea Praeses complecteris, — cum eximios Tuos favores, quibus eorum praecipue conatus adjuvare pergis, qui de Patria, ac de hominum genere quoquo modo bene mereri satagunt, mente revolverem: vicit posita in Tua benignitate fiducia verecundiam meam, indiditque formidanti audaciam; et qui plurima humanitatis Tuae, ac singularis beneficentiae indicia, luculentissimaque

tesumonia non modo sermonibus hominum celebrata, auribus excepi, verum oculis etiam spectavi: facile induxi animum eam in sententiam, non Tibi ingratam fore operam, ex qua utilitas quaedam in salutem, et incolumitatem hominum derivaretur.

Quid itaque hoc in stadio praestare admissus sim, id tenue isthoc primi laboris mei literarii in saluberrima medendi arte specimen perhibet; quod ut innata Tibi benignitate suscipere, meque in devotorum Tibi clientum numerum adlectum, Tua Gratia, et potente Praesidio fovere digneris, Te impensissime, ac majorem in modum oro. Quod si assecutus fuero, laetus tum praestitutam mihi semitam ingrediar, laetus ope medica egentibus, et valetudine periclitantibus opitulabor, sat amplum fatigiorum meorum praemium relaturus, si Tua benignitate, et gratia tutus, me, dum vixero, praedicare potero

Excellentiae Tuae

*humillimum, et devotissimum
clientem*

Carolus Spécz.

Prooemium.

Vitam incolumem tueri, periclitantem fovere, jam jam fugientem retinere, summum est beneficium, quod mortalibus praestari potest. Quis vero hujus tanti beneficii magis est indigus, quam infans, dum primum in lucem ingreditur? Inops prorsus, et imbecillus, jam primo suo vagitu nostram implorare videtur tutelam, et auxilium; quod recens editi vita, basi inconstanti, ac vacillanti insistens, a tramite nunc primum calcando facile deflectat.

Haec causa erat, quod Dissertatione ista inaugurali, studio, et industria partae mihi quantulaecunque cognitionis prima specimina exhibiturus, morbos quosdam recens natorum infantum proponere, eosque velut e nucleo evolvere, in animum induxerim. Fas sit tantillum audere tironi; quamquam fatendum sit, esse materiam, quae usu, et experientia probatissimi Artis medendi Doctoris ingenium, ac dexteritatem exerceat. Quid enim difficilius, quam vitam ex factoribus nunc quasi conflata regere, et jam fulcire nutantem, jam fere extinctam ex elementis suis quodammodo recreare?

Sunt morbi, qui neonatos invadere solent, pene innumeri, peculiarem in compage individui fundatam

faciem referentes, quibus omnibus perlustrandis, explicandisque nec tempus suppetit, nec breves istae paginae sufficiunt. Verendum mihi etiam erat, ne in pelagus me immitterem, in quo expertissimi quique vix satis secure provehantur. Quare ex omnibus Asphyxiam, Ophthalmiam, et Aphthas delegi; morbos urgentissimos, et plenos periculi, in quorum tractatione ita sum versatus, ut quae in doctissimis celeberrimorum Auctorum Commentationibus ad rem meam facientia reperirentur, sollicite conquirerem, discussa diligenter disponerem, ac fide integerrima proferrem, si non insigne aliquod operae pretium, venerandis tamen Legibus Academicis, quantum tenuitas mea admitteret, satisfactorius.

Te Lector Benevole! impensius oro, ut imbecillitatem meam Tua indulgentia subleves, haecque initia meorum conatuum, placidus favore Tuo complectaris.

AUCTOR.

Asphyxia Neonatorum.

Venit hoc nomine status, sub quo infans sinum matris egrediens, omnibus vitae animalis functionibus apparenter sublatis, mortem mentitur, seu, dum in neonato infante sensibilitate, irritabilitateque ad sensum sublata, pulsus, et respiratio silet, corpusque refrigescit.

Haec mortis imago ab ipsa morte differt eo, quod sub Asphyxia conditiones vitae, quin objective in conspectum prodeant, impeditae adsint: per mortem vero iis penitus exhaustis, vera corporis resolutio obtineat. Signa objectiva, quibus infans mortuus ab asphyctico distinguitur, quaeve ne gliscens adhuc vitae scintilla per nefandum, ut saepe fieri solet, otium negligatur, conscientiosissime consideranda veniunt, juxta C. LÖFLER sequentia sunt: Odor cadaverosus, maculae in corpore hincinde livescentes, virescentes, corpus spongiose sufflatum, spontanea epidermidis disjunctio, musculorum pultosa mollities; verbo putredinis initium. Haec nisi adsint, mortem praedicare nefas esto.

Status hic neonatorum tanto majori attentione dignus est, quanto frequentius accidit, ut infantes eodem detenti per ignorantiam, aut ignaviam morti relinquantur; quod tunc praeprimis accidere solet, dum neonati novam inchoant quidem vitam, sed ejusdem continuandae mox impares morbo hoc opprimuntur. Conscientiosum itaque obstetricarum, et obstetricum officium est, in statum neonatorum sedulo inquirere, ne de morte illorum praepostere conclamando patriae, parentumque solatium pessumdent.

Morbus in praxi duplici sub specie occurrit, quarum una in factoribus vitalibus suppressis, alia in iisdem plus minus lanquentibus radicem habet. Veteres inter utramque speciem non distinxerunt: Recentiores vero — C. OSIANDER, STARK — in causam morbi inquirentes ultimam hujus differentiam assignare conabantur, quae distinctio respectu therapiae maximi est momenti. C. GIRTANER in assignando utrique morbi speciei nomine minime haerens, illam cum lanquentibus viribus vitalibus conjunctam *Syncopen*, aliam vero cum iisdem suppressis *Apoplexiam* compellat. Praeplacet juxta C. PLENK primam morbi speciem *Asphyxiam neonatorum pallidam*, alteram vero *lividam* vocare, quae morbi denominatio, quamvis minus scientifica, et ex solis objectivis signis hausta morbi diagnosim multo faciliat, cui ceteroquin therapia superstruenda est.

Sub *Asphyxiae neonat. pallidae* statu cuncta adynamiae, et depletionis signa adesse solent. Infans tener plerumque et flaccidus pallet, et alget; facies collapsa, pallida, oculi clausi, labia livida; maxilla inferior pendula, extremitates frigidae, flaccidae exsanques, cutis rugosa,

turgor universalis collapsus, in cavo oris, faucibus, et trachea non raro mucus viscosus accumulatus, lingua per hunc saepe palato quasi adglutinata, pallida, et corpus in signum relaxationis sphincterum meconio nonnunquam conspurcatum. Arteriarum, cordis, et funiculi umbilicalis pulsus sublatus, respiratio nulla, hinc speculum ori aut naribus admotum non irroratur, neque plumula ad scrutandam vitae praesentiam eodem modo adhibita ex halitus defectu movetur. Irritabilitas, et sensibilitas ad sensum sublata, verbo omnia fallacia mortis signa.

Sub *Asphyxia livida Neon.* corpus infantis plerumque bene evolutum, torosum, sanguine turgidum, caput grande, facies turgida, praerubra, aut pene caerulescens, oculi protuberant, maxilla inferior plerumque attracta deprehenditur, labia tument, caerulescunt, os spumescit; cutis in omni ambitu profunde rubet, et non ut priori in casu alget, sed blande calet, et turgor vitalis auctus universim observatur; funiculus umbilicalis crassus, sanguine plenus; arteriae illius fortiter vibrant, omniaque phaenomena plethoram universalem testantur; non nisi tunc, si funiculus umbilicalis circa collum revolvitur, localis solum versus encephalum congestio locum habet. Ceterum et sub hoc statu respiratio nulla, nullum sensibilitatis, et irritabilitatis signum.

Ad signa autem vitae sub cura congrue adhibita redeuntis pertinent: tremuli musculorum faciei motus, spastica oris spumantis diductio, per vices iterata, respirationis interruptum conamen, coloris et ruboris normalis restitutio, cordis, arteriarumque sensim percipiendus pulsus, gemitus, tandem vagitus.

Aetiologia. Momenta, quae infantes ad Asphyxiam disponunt, plerumque jam tempore graviditatis, et sub ipso partu observantur, unde frequenter, priusquam infans in lucem venit, statum illius asphycticum, et quidem pro diversitate horum momentorum vel syncope, vel apoplexiae analogum praesagire licet.

Ad pallidam asphyxiam dispositi sunt infantes, quorum matres ut plurimum debiles, hystericae, graviditatis tempore vehementibus, aut diuturnis animi adfectibus, uti: ira, moestitia, zelotypia vellicatae, vel graves morbos; febrim adynamicam, convulsiones, haemorrhagias, diarrhoeam profusam perpassae sunt. Huc porro diversae partus calamitates referuntur, nempe: parturientium convulsiones, metrorrhagia, placentae praematura solutio, funiculi umbilicalis laceratio, prolapsus, aut illius, dum propendet, refrigeratio, compressio, nec non praepostera illius, post partum ligatio, et abscissio.

Si mater robusta, et plethorica per graviditatis decursum laute vixit; et partus negotium quacunq; ex causa diu protrahitur, infans aequè non raro asphycticus nascitur,

sed faciem a priori diversam, apoplexiae similem praesert. Sic asphyxiae lividae timorem incutit partus protractus ob pelvis angustiam positivam aut relativam, situm infantis anomalum, ubi versio, aut instrumentorum applicatio necessaria evadit.

Ejusdem periculi est diuturna capitis incuneatio, et qualiscunque pressio, funiculi umbilicalis per uteri orificium incarceratio, aut illius circa infantis collum replicatio, et compressio, infantes praeterea amnios membrana inclusi dum nascuntur, hac asphyxiae specie detineri dicuntur.

Sunt, qui mucum tenacem, aut liquorem amnii in trachea, et bronchiis accumulatum ut causam asphyxiae considerant; alii in pulmonum torpore generatim causam mali quaerunt.

Gyrtanner defectum oxygenii, aut contra hyperoxydationem sanguinis causam morbi proximam statuit, asserendo: tunc, ubi sanguis per funiculum umbilicalem ad placentam, ut organon pulmonibus vicarium iter prosequitur, sed per illum quo modo compressum redire ad infantis corpus nequit, hunc ex defectu oxygenii Syncope corripit; et contra, eundem ob hyperoxydationem sanguinis apoplexiae faciem exhibere, si compressio ita locum habeat, ut sanguis ex placenta ad infantem libere pergat, inde tamen ad placentam revehi nequeat. Quomodo autem arteriae, et vena seorsim comprimantur, mihi saltem perspectum haud esse profiteor.

In concipienda igitur asphyxiae causa proxima ad primae respirationis causam redeundum, et illam huic superstruendam esse reor. Missis ceteris ad explicandum problema *HARVEI* prolatis sententiis, illam *BAGLIVII*, *BOERHAVI*, et *BOSTOKI* solum adducere liceat, qui thoracem sublata post partum compressione, elasticitate sua expandi, aëremque lege physica in pulmones vacuos intruere, autumat. Mechanicum tamen hunc explicandi modum non sufficere, sed activam potius esse primam respirationem facile evincitur. Cur enim infantes debiles, nullo quamvis mechanico impedimento obstante priusquam refocillentur, non respirant? Praeplacet igitur illa *BÜFFONII*, et *REISZEISEN* sententia, membranae scilicet *Schneiderianae* narium ab aëre vellicationem efficere, ut muscoli intercostales, et diaphragma, ob nexum quinti paris nervorum cum nervo phrenico, contrahantur, cavum thoracis amplietur, sicque primae inspirationi locus concedatur. Huic operi secundum *Magn. D. a LENHOSSÉK* aër frigidus cutem universam alluens magnum addit stimulum; nemo enim corporis in elementum frigidius immersione subitanam adspirationem provocari ignorat.

Causa itaque primae respirationis in apparatus respiratorii irritabilitate per stimulum externum incitata con-

sistit. Haec nunc irritabilitas, si per causas quascunque debilitantes sub graviditate, partuque infringitur, aut si per plethoram universalem, sanguisque impulsus versus encephalum supprimitur, stimulus externus perperam agit, et infans in primo casu pallide, in secundo livide asphycticus nascitur, ut adeo *causam asphyxiae neonatorum proximam in irritabilitate infracta, aut suppressa fundari* verosimile sit.

P r o g n o s i s in asphyxia neonatorum sat laeta est, nam inter omnes asphycticos neonati maximam refocillationis spem admittunt. Ast promptissima auxilii administratio, animi conscientiositas, mens intrepida, iudicium acre, et imperterrita voluntatis constantia in ope iisdem ferenda requiritur; dantur enim casus, ubi infantes asphyctici epidermide fere macerata, et meconio foedati morti adhuc erepti fuerant, nonnunquam post plures horas, imo dies a matris obitu per sectionem caesaream utero exempti teste C. OSIANDER refocillati sunt.

In genere tanto securius faustum conaminis effectum sperare licet, quanto magis infans evolutionis suae culmen attingit, quo mater viribus minus exhausta, partusque facilius erat. Difficilius reviviscunt, ubi larga matris haemorrhagia, aut sanguinis per funiculum umbilicalem disruptum depletio, quam dum impedimenta mechanica, mucus, aut liquor amnii in faucibus ad accumulatus, vel ovi velamentum, quo infans inclusus saepe nascitur, causam asphyxiae constituunt.

Infantes Asphyxia pallida correpti, minus faustum admittunt praesagium, quam asphyxiae lividae faciem praeseferentes. Spes autem vitae redeuntis in directa temporis labentis ratione evanescit, nisi enim auxilium promptum accedat, gliscens adhuc vitae scintilla facile exstinguitur, et asphyxia in mortem transit. Hinc procul absit pusillanimitas, et cunctatio anceps, sed manus promptissima admoveatur, ne oleum et operam nos perdidisse sero doleamus.

T h e r a p i a. Methodum, qua neonatos asphycticos refocillare oportet, pro diversa asphyxiae specie variandam esse, causa morbi proxima superius adducta svadet, et experientia confirmat, cum sub asphyxia pallida vires erigendi, sub livida vero easdem liberandi indicatio sit.

Sub *cura asphyxiae pallidae*, ubi naturae infantis auctoritas vitae continuandae impar est, totius rei cardo in eo versatur, ut nexus infantem inter, et matrem quanto diutius sustineatur. Regula itaque generalis est, ut funiculus umbilicalis in hac asphyxiae specie integer relinquatur, neque placenta praepostere solvatur, quo infans virium, et vitae pabulum ex utero haurire queat, usque dum debite respiret, functionumque modo inchoandarum concentus vigeat; docuit enim experientia, infantem neo-

natum per ligationem funiculi umbilicalis iterato asphycticum esse redditum, vinculo autem soluto revixisse (PETIT). Hinc funiculum umbilicalem nonnisi tunc ligare consultum erit, ubi larga, ex placenta partim soluta, haemorrhagia adest. Generali hac regula observata, et mechanicis, quae fors adsunt, impedimentis remotis; ore faucibusque ope penicilli ex tela carpta confecti a muco tenaci liberatis, naribusque perviis ope specilli redditis, ad remedia gliscentem vitae scintillam refocillantia prompte confugiendum erit, inter quae multum valuit:

Calor, sive per balneum, sive siccus corpori moderate communicatus. Balneum tepidulum simplex, aut quod scopo magis respondet, vino, spiritu vini, infusis aromaticis mixtum, et vase congruo exceptum, sinui matris apprime admoveatur, et infans cum matre adhuc nexus una cum funiculo umbilicali totus immergatur, dempta facie, quae eadem unda tepidula caute fovenda erit. Balneum hoc per $\frac{1}{2}$ horam continuari potest, ex quo infans per vices erigatur, iterumque immittatur, quae alternans temperaturae, mediique mutatio, beneficentissimum in vitam erigendam producit effectum. Si autem infans una cum secundinis ab utero materno jam solutus esset, tunc haec cum infante ad balneum, (ab oculis matris remotum) immittantur; hoc enim modo circulum sanguinis inter infantem et placentam sustineri teste experientia constat. In defectu balnei, aut donec illud paretur, infantem linteaminibus calefactis, thuris, vel sachari fumo imbutis fovere, placentam vero una cum funiculo umbilicali remediis spirituosis aequae calidis fomentare oportet. DORTHAL refert infantem asphycticum per placentae in mixturam vini rubri cum alcohole immersionem, aliis remediis incassum adhibitis, revixisse.

Frigus quoque repente admissum ad recreandas vires vitales multum valet; hunc in finem dum infans ex balneo per vices erigitur, ubi nervi acere sentiunt, ad scrobiculum cordis nempe, aut faciem versus aqua frigida ope syringae appellitur; eundem praestat effectum aqua frigida, dum ex alto ad locum nominatum guttatim cadit. Commune, quo frigus tali modo applicatur remedium, in casu necessitatis congruum quidem est aqua; attamen alcohol, naphthae, et alia spirituosa concentrata frigida, fini magis respondere videntur, siquidem dum sensim avolant, calorem copiosum figendo frigus multo intensius, quam aqua excitant, taliterque praeter quod nervos vehementius percellant, horum vires subtilissimo aethere suo mirum in modum recreant. Notandum autem est, infantem post percussiones tales confestim balneo tepido immergendum, vel linteaminibus calefactis esse obvolvendum; calore enim incaute subtracto vitae scintilla facillime exstinguitur, vitaeque dissipatur. Ad haec ultro referuntur:

Frictiones, quae calorem animale[m] augent, circulum sanguinis impellunt, et huic probabiliter per aëris atmosphaerici decompositionem oxygenium impertiuntur, taliterque respirationem impeditam quodam modo supplent.

Instituuntur hae frictiones vel manu nuda, ob caloris animalis ex eadem mutationem congruo quidem, vel panno molli, sicco, calefacto, masticis, sachari, myrrhae fumo impraegnato. Frictiones humidae quoque optato cum successu fieri solent, in quem scopum pannus spirituosis, spiritu camphorae, aceto camphorato, vino, alcohole, aqua coloniensi, aut solutione salis culinariae humectandus, iteratoque calefaciendus adhibetur.

Locus, pro his frictionibus congruus est spina dorsi, thorax, scrobiculum cordis, vola manuum, et planta pedum, ultima molli optime setaceo perfricatur. Refert enim PREBORDE (Stark: Archiv. für Frauen und Kinderkrankheiten) se 200 infantes asphycticos frictione in planta pedum instituta resuscitasse, aliis remediis prius incassum tentatis. Juxta RICHTER aetheris acetici in regionem laryngis infricatio laudabilem praestat effectum. Frictiones in genere leni manu, et ita instituendae sunt, ut directio a corporis peripheria scrobiculum cordis versus observetur, neque ulterius continuandae, dum cutis turget, lacte rubet, atque calet.

Membranae Schneiderianae, fauciumque vellicatio aequae ad sollicitandam respirationem non raro optatum, ex nervorum nexu facile explicandum praestat effectum. Hunc in finem omnia volatiliter stimulantia, fragrantia deserviunt, ut: acidum aceticum concentratum, spiritus cornu cervi, ambra in aethere soluta, naphthae, cepa recenter dissecta, pluma adusta, spiritus salis ammoniaci causticus; ultimus caute et per momentum solum applicetur, quae omnia naribus quam proxime admovenda, spiritu salis ammoniaci dempto, linguae infricanda, vel faucibus guttatim instillanda sunt. Sic GIRARD infantem asphycticum per alcohol ex certa distantia faciem versus ore afflatum salvavit. Sic STARK loco citato aethiopem quamdam ope piperis hispanici cavo oris infricati prolem suam morti eripuisse narrat. In casu necessitatis nares, faucesque, penna aut molli specillo irritasse juvat.

Clysteres etiam congrue in usum trahuntur; siquidem praeter blandam viscerum abdominalium per calorem fomentationem, stimulo suo, quo acuuntur, systema nervorum gangliare excitent, motum peristalticum inertem sollicitent, meconium evehant. Optima sunt clysmata, quae ex decocto aliquo emolliente cum vino, pauxillo spiritus vini, aceto, sapone, sale culinari, aut parca tartari emetici quantitate coalescunt. Spemendus est fumus herbae nicotianae, pro hoc usu hincinde commendatus, qui praeter

quod intestina inaniter distendat, narcotico suo principio nervos facillime intoxicat.

Electricitas a nonnullis laudata nimis impetuose agit, unde *Galvanismus* facilius moderandus praeferrī meretur, utpote qui nervis stimulum sat potentem addit. Ad pia igitur desideria pertinet, ut in quolibet pharmacopolio columna galvanica quovis tempore pro usu communi praesto foret. Balneum vero galvanicum juxta *Froriep* ita, ut polus unus ad aquam tepidulam, alter autem ad infantis pectus dirigatur, adhibendum est.

Ultimo denique *respirationem artificialem* ad suscitandos neonatos asphycticos adhibitam commemorare oportet, qua his aër follibus, aut ore per vices ad pulmones inflatur, et thoracem dein comprimendo rursus educitur. Multum hanc in rem disceptant Auctores. *Blumenbach*, et et *Berut*, conamen hoc frustraneum, imo noxium declarant. Et revera quid mechanismus talis ad lanquentem irritabilitatem erigendam valere potest? Folles praeterea nimis impetuose agunt, aërem ad intestina peraeque impellunt, aut pulmones tenellos distendendo laedunt. Aërem autem semel respiratum, et asphycticis dein ore inhalatum non tantum non proficuum, sed et noxium esse partim ex oxygenii penuria, partim ex acido carbonico eidem adhacrente facile perspicitur; scimus enim hanc substantiam vitae animali esse summopere nocivam (M. D. Lenbossék *Physiolog. Med.*) hinc tantum abest, ut irritabilitas per hunc aërem erigatur, ut potius deprimatur et exhauriatur; experientia quippe constat animalia in aëre occluso, prius quam oxygenium totum consumatur, per acidum carbonicum respiratione generatum suffocari. Si igitur nonnulli optatum respirationis artificialis effectum se observasse contendant, id aër inflatus probabiliter non in pulmonibus, sed per faucium, et choannarum vellicationem praestitisse videtur. Recte itaque *GEHLER* quum occasione obtentae in Physiologicis cathedrae de causa primae inspirationis verba faceret, monuit: in resuscitandis neonatis asphycticis remedia quae incitant, non vero frustraneam illam pulmonum per aërem inflatum diductionem esse adhibendam.

Si sub cura hoc modo instituta signa vitae redeuntis in conspectum prodeant, opus praepostere non erit praescindendum, ne erumpens vitae flamma iterum dehiscat, sed ulterius foveatur, quod praepremis de frictionibus sicis, et spirituosis observandum est, quae eousque gradu tamen leviori continuandae sunt, donec infans plenarie reviviscat; subsequo etiam tempore infantes tales plerumque, debiles blando calore, balneis tepidis, animandi, et vires eorum spirituosis lenibus recreandae erunt. Ante omnia autem mater prolem per calorem proprium sinu sol-

licite foveat, cum balneum hoc animale teste *Hufelandio* saluberrimum sit.

Sub *cura asphyxiae lividae Neon.* cum juxta prius dicta hujus mali causa in viribus vitalibus per sanguinem in encephalo accumulatum aut plethoram universalem suppressis consistat; quam promptissima earum expeditio indicatur. Hunc in finem si fors infans ovi velamentis inclusus in lucem prodeat, his in loco a placenta remoto ruptis, infanteque enucleato, aut si quo casu contingat, circumflexione funiculi umbilicalis ob collum soluta, funiculus hic ad quatuor pollicum ab infante longitudinem resecetur, et pro ratione periculi unum, alterumve sanguinis cochlear, si sponte non flueret, emulgeatur; et demum ligetur. Sanguinis haec evacuatio, ut quantitas facilius aestimari valeat, juxta *Löffler* extra balneum instituenda est, semperque in ratione plethorae directa fiat, ne fors dum vires eliberare conamur, easdem exauriamus. Sanguine subtracto, infantes saepe nullo alio auxilio accedente, reviviscunt; sic *Lavalle* narrat: rescisso funiculo umbilicali; missoque sanguinis cochleari uno, pulsum cordis expeditum, fluente autem altero, infantem plenarie revixisse.

Saepe tamen, viribus per sanguinis evacuationem institutam liberatis, mucos tenaci, aliisque mechanicis respirationis impedimentis ex faucibus eliminatis, nihilominus vita non redit, sed functionibus vitalibus, ut ortum sumant, stimulus addi debet. Tali in casu a balneo tepidulo, non tamen aromatico, spirituosissimo, sed simplici cum affusionibus frigidis alternante, multum sperare licet. Neque frictiones negligendae, hae tamen in extremitatibus inferioribus tantum, et planta pedum instituendae erunt, ut sanguis ab encephalo derivetur. Multum praeterea praestat aëris puri, frigidiusculi ope flabelli faciem versus appulsio, narium et faucium ope pennae vellicatio, nec non clysteres acres repetiti.

Abstinendum vero est a vomitoriis, ac spirituosissimis ori instillandis, aut infricandis, a fragrantibus et sternutatoriis, cum sanguinis torrentem versus caput urgendo apoplexiae periculum augeant; neque electricitas hoc in casu monente *Stark* in usum trahenda.

Cum infantes ex hac asphyxiae specie reviviscentes subsequenter etiam phethorici, et ad congestiones praei existant, mortis periculo jam ereptis, dein quoque clysteres emollientes, et interne eccoprotica saepius exhibenda conducent; matri vero, aut nutrici a potibus spirituosissimis, cibisque aromaticis abstinendum erit; situs infantis supinus, quantum possibile evitetur, et aëris ambientis sit semper moderata temperies.

Ophthalmia Neonatorum

Est *inflammatio conjunctivae recens natorum sui generis*, qua primis post partum septimanis corripuntur. Morbo huic diversi Auctores diversa imposuerunt nomina; cum autem tres gradus intensitate, ac cum primis extensione differentes observet; maxime congruum censeo, quemvis eorum proprio nomine distinguendum esse. Hoc respectu primum morbi gradum *Lippitudinem*, alterum *Blepharoblennorrhoeam*, ac tertium *Ophthalmoblennorrhoeam* Neonatorum compellare licebit.

Lippitudo neonat. est morbus levis, et durationis brevis, cum sub faustis auspiciis intra tres persaepe dies dispareat, ast symptomatum levitate parentum, qui periculum plerumque ex dolorum acerbitate metiuntur, attentionem frequenter effugit, et accedentibus adversis in gradum altiozem transit, omni proin attentione dignus.

Primis post partum diebus, sed non raro 3.—5.—7. hebdomade *rubor* in margine palpebrarum plerumque cantum internum versus se insinuare solet, qui sensim per integrum limbum proserpit, tum rubedini accedit *tumor* moderatus, illiusque cursum sequitur. His se jungit *sensilitus* oculi erga potentias externas acrior, ut lux esto moderata, solitaque aëris temperies aegre ferantur, palpebraeque libenter claudantur, ac infantes pruritu coacti manus automatico motu oculos versus attollant. Cum glandulae meibomianae inflammatione occupentur, secretio earum mucosa impeditur, et loco illius praesertim ubi oculos aperire tentant, copiosum *lachrymarum stillicidium* observatur; lachrymae non quantitate solum, sed et qualitate peccantes, secundum Cel. BEER phosphate calcis, juxta Cel. Ph. Fr. WALTHER natro muriatico praegnatae oculos irritant, unde infantes dolorem inquietudine, jactitatione, vagitu enunciare solent; imo illa lachrymarum acrimonia se tanto manifestius prodit, dum decursu suo per genas ruborem, tamquam perversae indolis suae vestigium relinquunt, et has passim erodendo infantes misere excruciant.

Hoc tamen lachrymarum profluvium post aliquot dies, dum inflammatio a culmine recedit, minuitur, et loco illius *muci secretio* se insinuat, qua superveniente rubor palpebrarum quidem profundior, tumor tamen mollior evadit, unde molesta illa tensio sublevatur, pruritus lenitur, statusque morbi in melius mutatur. Oculi nunc mucum tenuem lachrymis dilutum fundunt, qui vero brevi viscosus, spissus, cilia, et margines palpebrarum incrustat, easque sub somno, aut ubi diutius clausae tenentur, conglutinat, quo fit, ut mucus sub palpebris ad accumulatus, dum hae dimoventur, cum impetu prosiliat. Si regimen incongruum, aut cura minus adaequata, sub hoc rerum statu accedat, muci

secretio chronicum saepe decursum molitur, praesertim si morbus individuum pastosum, diathesi scrophulosa notatum invasit; organismus integer hoc in morbi gradu non afficitur, adeoque febris nulla.

Si morbo in principio obvietur, mucii secretio sensim limitatur, tumor dehiscit, rubor disparet, ita ut morbus intra 7 — 11 dies tollatur exigua oculorum sensilitate, il-lachrymationeque relicta, quibus subin evanescentibus optata redit valetudo.

Ophthalmoblennorrhoea neonat. Si momenta, quae neonatos in ophthalmiam conjicere valent, confestim validius agant, aut primus morbi gradus seu vilipensus, seu neglectus fuerit, idem in altio rem transit gradum, qui a priori symptomatum intensitate, morbi extensione, partium adfectarum numero, et duratione diuturniore differt.

Tempus, quo morbus se insinuare solet, primis vitae septimanis circumscribitur, et cursum suum aequae, ac gradus prior, *rubore* orditur in margine palpebrarum; attamen rubor non ut in casu supra descripto ad earum marginem restrictus manet, verum celerrime per omnem palpebrarum conjunctivam diffunditur, quae diffusio ob palpebrarum teneritudinem etiam externe conspici potest, estque rubor in hoc morbi gradu, ubi vasa capillaria tunicae muciparae ceteroquin copiosissima uberrimo infarciuntur sanguine; multo profundior, adeo, ut palpebrae praesertim sub fletu, vel nixu infantum intense rubeant, ac pene livescant. Rubori tumor palpebrarum mollis, elasticus, levis sociatur, externaque earum cuticula quasi nitet, et rugae, quae juxta normam palpebras obsident, ubique explicantur.

Sensilitas oculi nimis exaltata infantes ad palpebras sedulo claudendas stringit; *pruritus*, item tensionis sensus, et *dolor* irremissus, quietem, et somnum arcendo, eos vehementer affligit.

Hic morbi gradus a priori eo quoque differt, quod loco stillicidii lachrymarum in primo gradu obtinentis molestissima *oculorum siccitas* (xerophthalmia) saepius infestet, quae omnem palpebrarum motum summopere dolorificum reddendo inquietudinem non parum augere solet.

Primum hoc morbi stadium alterum, seu *stadium relaxationis* ex generali processus vitalis lege successive sequitur, nam per 3 — 5 — 7 dies inflammatio culmen suum attingit, quibus elapsis, ab eodem recedit, et palpebrae sensim *mucum* fundere incipiunt, paucum prius, dein vero adeo copiosum, ut palpebrae saepius conglutinatae a mucosub illis accumulato in globos haemisphericos expandantur, et hic dum palpebrae ab invicem dimoventur, cum impetu prosiliendo genas inundet; mucus ab initio tenuis, serius flavescens, viridescens, et viscosus, spissusque eva-

dit, punctis saepe sanguineis mixtus, quod symptoma matres plerumque pannicum in terrorem perperam conjicit, cum sanguinis hoc stillicidium omnis periculi expers, imo proficuum, et salutare sit, ruborem, ac dolorem leniat, et morbo prosperum finem praeparet, praecavendo, ne palpebrarum tumor increseat, et sub sternutatione, vomitu, nixu, aut vagitu ectropium oriatur, quo conjunctivae palpebrarum influxui externorum expositae luxuriatio paratur, et tantopere increascit, ut massae carnosae instar propeadeat.

Sensilitas oculorum in hoc morbi stadio perdurat, imo non raro ita augetur, ut palpebrae spastice constringantur, et se invicem magna parte tegant; tum easdem ab invicem remove nefas esto, cum hoc tentamen ceteroquin frustraneum, et doloriferum inflammationem indubie auget.

Hoc sub gradu non tantum palpebrae, verum et partes iisdem vicinae, uti genae, et radix nasi una afficiuntur, intumescunt, cutis erysipelaceo rubore perfunditur, saepe excoriatur; ductus lachrymo nasalis infarcitur, nares mucosae obturantur, et infantes ore hiante aërem captant.

Associat se praeterea *febris*, per calorem totius corporis intensum, cutem siccam, aridam, pulsum frequentem, inquietudinem, jactitationem, agrypniam manifesta. Infans in signum sitis auctae ubera materna avidè prehendit, sed post aliquot haustus flebilis relinquit; adest non raro *colica, vomituritiones*, vomitus, alvus tarda, vel diarrhoea mucoso serosa, profusa. Hae organismi universim lacerantur, si diutius perdurent, vires infantum adeo exhauriunt, ut tandem corpus imbecille, sub fallaci oculorum emendatione emaciatum, atrophiam affectum concidat, et vita exstinguatur.

Si autem in primordio congrua paretur medicina, morbus intra 2 — 4 — 6 septimanas limitatur, mucosae secretio minuitur, tandem cessat, tumor collabitur, sensilitas temperatur, oculi cum parentum solatio aperiuntur. Infantes ubera materna iterum pleno sugunt ore, quies, et somnus revertitur, vires tenellorum refocillantur, valetudo redit.

Ophthalmoblebennorrhoea neonat. Summum fastigium, quod morbus nisi tunc attingit, ubi perniciosae potentiae in oculum agunt, aut ubi gradus secundus supra adumbratus per ignorantiam eorum, quibus salus neonatorum cordi esse deberet, perverse tractatus fuerit.

Postquam nempe symptomata in gradu priori adducta per aliquot tempus durassent, rubor ad palpebras hucdum restrictus ad conjunctivam ipsius oculi extenditur, quae intumescit, et corneam aggeris instar cingit, mucosae secretio adhuc copiosior evadit, et mucus, qui in casu priori cremoris lactis instar blandus, spissescens, flavescens dicebatur, nunc tenuior, rubicundus, luridus, resolutus fluit.

Cornea obscuratur, vitri impuri habitum referens, vasculis sanquiferis pertexta. Oriuntur sparsim in limine corneae phlyctenulae sero rubello repletae, quae serius in pustulas formantur, rumpuntur, et in ulcera transeunt; per haec membranae oculi eroduntur, et sub felicissimo morbi exitu cicatrices obscuras, visum plus minus impediētes; relinquunt; si vero corneam perforent, humor aqueus effunditur, iris prolabitur; in quorum sequelam synèchia, aut staphyloma formatur; vel rupta capsula, lens chrySTALLINA quoque, et pars humoris vitrei protruditur, oculusque corrugatus, ac ad exiguum volumen redactus, infelicis desolationis luget memoriam.

Frequenter suppuratio, oculis consumptis, ad vicinas partes progreditur, et vires neonotorum exhauriendo, miserae vitae finem imponit. Tristissimus hic morbi exitus per curam congruam saepe quidem praevēti potest: ubi tamen morbus hunc gradum attingit, fere semper oculos malis posthumis, visum et venustatem pessumdantibus, affectum iri, timendum est.

Aetiologia. In morbi causam inquirentem, attentionem primo in dispositionem, dein in momenta excitantia convertere oportet.

Dispositio generalis in organismi infantilis teneritudine quaerenda est. Unde neonati imbecilliores, praematuri, trigemini, primos dies viventes praeceteris in ophthalmiam magis dispositi esse deprehenduntur; quae dispositio luculentius apparet, dum organismo parvulorum a parentibus cachecticis; scrophulosis, rachiticis, syphiliticis labes quaedam haereditaria adhaeret, tunc enim oculus velut integritatis vitae index accedente levissima ansa in morbum conjicitur, qui cachexiam serius ocium explicandam monet.

Dispositio specialis oculum ipsum concernit; cum enim tenerrima haec organismi, nobilissimaque pars cum cerebrali aequae ac cum gangliari nervorum systemate artissime nexa, in neonatis stimulo suo habituali, luci, nondum asveta sit, facillime in hyperaesthesiam, et inflammationem abripitur; accedit, quod conjunctiva oculi tanquam substratum morbi, de quo sermo est, membranae serosae, ac mucosae naturam uniens, cutique continua omnium harum membrenarum adfectiones recipiat, morboque corripitur.

Quod *potentius nocentes*, quae neonatos in ophthalmiam conjicere possunt, attinet, huc referri oportet: *lucem nimis intensam*, et praesertim repentinam illius mutationem, unde radii solares, et facium in gynaeceis ardentium sollicitate arcendi, non tamen oculi penitus velandi sunt, ut luci sensim assvescant. Damnandus autem est ille obstetricum, et nutricum error, quo proles vix

editas contemplationis gratia luci intensiori exponunt, aut in cunis jacentium oculis facem admovent, quo iisdem saepe damnum irreparabile infertur.

Hujus loci porro est: *calor* et *frigus* immodicum, quo respectu cubile semper moderate calidum servetur, infantes ab aëris ductu defendantur, et nunquam illico post partum, somnum, aut corpore sudante in balneum mittantur. Aqua fluviatilis limpida pro balneo adhibenda sit debitae temperiei, a 22° — 23° R. quae ita metienda est; ut manus explorans eandem facillime perferat, cutis enim recens natorum tenera multo sensilior est, unde ab aqua, cujus calorem rudis saepe manus perfert, citissime aduritur, tanto magis oculi, si eadem aqua eluantur.

Ad causas excitantes porro spectat: *aër corruptus*, oclusus, pulveribus, fumo aut suffimentis, vaporibus aqueis, vel acidis impraegnatus, item *partus protractus*, inepta obstetricis in evolvendo capite manus, immundities, meconium retentum, diuturna alvi obstipatio, lac dyspeptum neonati ventriculum gravans, strictior amictus, rudis oculorum contrectatio, *corpora peregrina* oculis illapsa; fletus protractus, violenta in cunis agitatio eo fine instituta, ut consopiantur, nam sanquinem versus caput urgendo saepius prava hac consuetudine ophthalmiae occasio praebetur.

Ophthalmiam neonatorum, dum altiorē attingit gradum, perinde ac plerasque adfectiones membranarum mucosarum indolem contagiosam induere constat teste experientia, unde ubi fors gemelli, aut plures in ginaeceis foventur infantes, separare sanos, ne eodem corripiantur morbo, oportet. Generando contagio imprimis aër humidus, exhalationibus hominum, vaporibus ex urina, aliisque in putredinem abeuntibus evolvendis inquinatus favet. Unde in pauperum tuguriis, et Brepharotrophiis male provisus ophthalmiae endemice regnantes. Multum hanc in rem faciunt testibus HEYFELDER, WERNEK, et RUMPF repentina tensionis electricae in aëre atmospherico, mutatio, imminentes procellae, dehiscente subito Barometro, et imbres, ubi ophthalmiae mox ad summam vehementiam insurgunt, perniciosam assumunt indolem, et multiplicantur.

Summi momenti praeterea est *leucorrhoea parturientium*, dum nempe oculi sub transitu per vaginam acri mucosae impraegnantur, poenamque insontes luunt. Multo adhuc periculosior est oculorum per *virus syphiliticum* sub partu contaminatio, quae saepe ophthalmiam pedisequam habet, nullis remediis refroenandam.

P r o g n o s i s- Localem licet et in principiis levem hunc morbum nemo periculi expertem praedicabit, qui organi nobilissimi, quod occupat, memor, eundem non modo sub adjunctis adversis, verum non raro secundis, cura studiosissime adhibita pervicacissimum, perniciosissimumque esse novit, tunc

praeprimis, dum endemice, ut in brepharotrophiis, aut epidemice grassatur.

Ceterum in prognosi statuenda semper ad *individuum* morbo correptum, ad *morbi gradum*, et *durationem*, ad *causas excitantes*, et *circumstantias*, sub quibus infans versatur, nec non ad anni *tempus* advertere oportet.

Hoc respectu fausta erit prognosis, ubi morbus individuum vegetum adgreditur, nulla diathesi cachectica notatum, hinc infantes modo nati, tenelli, gemini, atrophici aegrius decumbunt; magis adhuc morbi gradus in prognosim facit; nam lippitudo ceteris paribus faustum, blepharoblemnorrhoea anceps, ophthalmoblennorrhoea tristissimum fert praesagium. Idem de morbi duratione chronica, et recidivis, ad quas morbus est pronissimus. Porro compertum habetur, quod affectio haec e causa mere idiopathica, ut: luce intensa, fumo, corporibus peregrinis in oculum illapsis orta, arti facilius cedat, quam ubi sympathice ex adfectione viscerum abdominalium, et membrarum mucosarum scaturit; quare cautior prognosis sit, dum morbus ictero, cardialgia, colica, vomitu, aut diarrhoea complicatus occurrit; pessimum autem, ubi cum aphis synchrona obvenit, tunc enim sub principio perniciosam indolem induens, vix non semper mala posthuma oculis parat.

Morbus sub partu per mucum leucorrhoeicum contractus periculosior, et arte vix truncandus est. Tristissimum vero praesagium statui potest, ubi morbus per contagium syphiliticum suscitatus fuit, qui omnem prope medici conatum eludens in foedissimam oculorum desolationem properat.

Multum praeterea in therapiam influunt circumstantiae externae; facilius sanatur morbus, ubi mundities, et regimen congruum accedit, quam ubi paupertas emendationem adjunctorum impedit, et infantes in tuguriis humidis, aut in brepharotrophiis decumbunt, ubi saepe per aegrorum numerum, et temporis angustiam debita mundities, quae hic plurimum valet, observari nequit.

Difficilius sanatur morbus tempestate humida regnante, et dum repentinae, ac frequentes aëris mutationes contingunt, adeoque vere, et autumnis; quamvis juxta mentem C. SCHMIDT tempore aestivo periculosior sit.

Si secretionis indoles respiciatur, mucus blandus, albicans, aut punctis sanguineis mixtus faustam; resolutus vero, et luridus, carnis lotio similis ominosam statuere jubet prognosim.

Tandem in prognosi concinnanda semper ad vires totius corporis attendendum, ne fors, ut sepe fit, fallaci oculorum emendatione decepti, applaudamus, dum infans viribus exhaustus vitae fini appropinquat.

De duratione morbi in genere certi nihil statui potest, sunt enim casus praesertim dum morbus levior est, ubi intra tres dies, imo citius solvitur, et minus faventibus adjunctis per totidem septimanas, imo menses excurrit.

Cel. SCHMIDT, et HENKE morbum intra decursum 4 septimanarum nulla ratione refroenari posse contendunt, cui tamen asserto C. BEER propriae experientiae innixus contradicit. Ipse vidi casus in Clinico parturientium hujate, ubi morbus non exilis epithematibus frigidis sedulo adhibitis primis diebus suffocatus erat.

Therapia. Cum morbus hicce in praxi sub diverso saepe gradu, et stadio tractandus occurrat, et pro ratione temporis, ac circumstantiarum diversam faciem praeseferat, mirum non videatur, quod Auctores varii varia, et saepe paradoxa in therapia adornanda proponant. Quare non abs re erit, methodum medendi secundum morbi gradum, et quae percurrit stadia, inflammatorium, nempe, et blenorhoicum adumbrare.

Indicationes in morbo hoc curando sunt 1-o causam, quae morbum produxit, enervare, et quae altiori ejus incremento favent, sedulo amovere; 2-o morbum ipsum sufferre; 3-o convalescentiam promovere.

Morbi *prophylaxis* in debito lucis moderamine, aëris salubritate, et munditie fundatur; quare ad infantes a malo hoc praeservandos praeter balneum universale frequens, requiritur, ut oculi eorum saepius de die aqua purissima, frigidiuscula eluantur, fomententurque.

Ubi vero morbus se insinuat, ad medelam cum successu ferendam requiritur; ut temperatura cubilis non sit nimis calida, aër sit siccus, et purus, lux moderata; quare incunabula optime tela viridicante obvelentur, vestis et lectus non sit exaestuans, semperque mundus, ne fors vapores e lotio evolvendi oculos feriant; praeterea quies sollicite observetur, ut fletus oculis infantum infensissimus praecaveatur. Ad haec alvus sit semper facilis, mater vero, aut nutrix diaetam strictissime observet, a potibus spirituosus abstineat, et victu parco, vegetabili vescatur, ne lac generosum, et copiosum infantem justo magis, et simul morbum nutriat.

Ad morbum ipsum sufferendum pro diverso ejusdem gradu rigor therapiae, pro diverso autem stadio medicamentorum indoles varianda.

Cura Lippitudinis neonat. Sub stadio primo inflammatorio epithemata frigida omne ferunt punctum; utpote quae phlogosim, et sensilitatem minuunt, et quamvis morbum in germine suffocare semper non valeant, ad eundem tamen abbreviandum, et praecavendum insequentis blenorhoeae excessum plurimum conferunt. Cel. SIEBOLD in primo hoc stadio oculum laciniis infuso chamomillae tepido

madefactis tegi jubet, quod tunc commendandum, si morbus indolem rheumaticam praeseferat.

Stadio secundo ad moderandam mucii secretionem utimur collyriis mucilaginosi praecipue seminum Cydon. cum tinctura opii simplici, vel crocata, quibus aqua sambuci, rosarum, plantaginis, chamomillae, vel camphorata adduntur; collyria haec tepidule adhibeantur, laciniis mundis, mollibus excepta, oculisque imponenda, et frequenter renovanda; nocent in hoc stadio omnia emollientia mera, cum blennorrhoeam augeant, et chronicum mali decursum praeparent; quod si foret, peroxydum Hydr. murias Hydr. ammoniacalis, bolus armena, lapis divinus, in auxilium vocandus foret.

Cum *Blepharoblennorrhoeae neonat.* sub stadio primo phlogosim compescendi indicatio sit, antiphlogistica hic quoque in usum trahenda, et quidem ob phlogosim magis intensam, saepe feбри stipatam, praeter epithemata frigida, quae apprime respondent, localis per hirudines sanguinis evacuatio frequenter necessaria evadit. Medici *Angli*, et *Galli* in evacuatione sanguinis audacius procedunt, hirudines repetitis vicibus applicando, et fluxum sanguinis eousque sustinendo, donec infans expallescat, quibus *C. Rust* quoque experientiam addit, afirmando 90 infantes per hirudinum adplicationem salvatos fuisse.

Compertum quidem est in vegetis individuis, bene pastis, et sub gradu morbi altiori hirudinibus nonnunquam opus esse; in earum tamen adplicatione summa circumspectio commendanda, cum neonati sanguinis jacturam aegre ferant, et viribus subtractis, facile in atrophiam incidant; imo narrantur casus, ubi infantem unica hirudo peremit. Sufficit itaque unam ad radicem nasi, vel tempora adplicare, et sanguinis stillicidium pro re nata sustinere, vires infantis semper conscientiose respiciendo.

Epithematum frigidorum ad oculum adplicatio ultra limites stadii primi nefaria est, sub altero enim inflammationem, et sensilitatem augent; imo evenit, ut in primo quoque stadio male conduxerint, dum nempe illis in principio perperam adhibitis inflammatio ad eam intensitatem increscit, ut palpebrae in haemispheram protuberent, cutis profunde rubeat, et chordae instar tendatur, aut palpebrae spastice constringantur; sub his proderit micam panis in lacte coctam, et linteamine exceptam oculis tepidule imponere; qua dolores mitigantur, et mucii secretio ceteroquin inevitabilis praeparatur. Hic itidem monendum, ne cataplasmata justo diutius adhibeantur, sin partes adfectae plus satis relaxantur, et chronica mali duratio timenda; quamprimum igitur mucii secretio inchoat, cataplasmata rejicienda sunt.

Stadio secundo, ubi inflammatio culminans ex generali consumptionis lege in relaxationem partium affectarum transit, et mucus abunde fluit, in eo versari debet, ne liquidum secretum, quod per attractum oxygenium, aut ubi sub palpebris adcumulatur, per calorem animale facile corrumpitur, oculis infensum evadat, et medicamentis aditum praecludat; hinc oculi saepius de die, imo si periculum urgeat, et noctu a mucositate purgandi. Purgatio instituitur ope spongiae marinae, aut in hujus defectu ope laciniae mollissimae liquido quodam tepido, infuso malvae, florum verbasci, aqua rosarum, vel florum tiliae, aut aqua saltem tepida humectatae, qua mucus leni manu amovetur, crustae indurati mucosae usque solutionem macerandae absque pressione, et oculorum vellicatione eluantur, tandem oculi caute siccantur.

Haec purgatio esto summi momenti, ad morbum sufferendum tamen insufficiens aliis remediis ad limitandam, et corrigendam mucosae secretionem aptis viam aperit. Respondent huic scopo Roborantia, stimulantia, et stiptica, ut: Acetas plumbi, sulfas Zinci, acetas cupri; murias Hydrarg. ammoniacalis, alumen, bolus armena, laudanum liquidum *Siedenhami*, aqua saphirina, alcohol.

In horum remediorum selectu circumspectione utendum, et in eorum applicatione lento passu procedendum, ne secretionem mucosam subito suppriment, et per inflammationis augmentum oculis exitium paretur. Quare initio hujus stadii a mucilaginosis, leniter adstringentibus est inchoandum; sic collyrium ex aqua rosarum, rutae, plantaginis cum mucilagine seminum Cydoniorum, et pauxillo laudani liquidi *Siedenhami* apprime respondebit; serius dum relaxatio crescit, saturnina, et si haec non sufficiant, sulfas Zinci, alumen, praeparata mercurii in auxilium vocanda.

C. SIEBOLD commendat sub hoc stadio collyrium sequens: *Rp.* Aq. rosar. unc. jj , mucilaginis sem. Cydon. drach. semis, aceti saturni gutt. vjjj — X, Spiritus Camph. gutt. XV m. d., cui si sensilitas oculi deponit, aliquot guttas Tinct. opii crocatae addit.

Juxta C. WENDT sub majori partium laxitate, ubi malum minatur decursum chronicum, collyrium: ex aquae dest. unc. vj . Zinci sulf. gr. vj . mixt. camph. drach. jj , optatum praestat effectum. HENKE vitrioli albi gr. jj in quavis aquae dest. unciola solvenda praescribit, et eodem modo, ac sine adhibet.

C. WEDEMEYER solutione muriatis Hydrarg. corros. gr. j in unc. V aquae dest. tepida omni hora oculos purgandos, et dein iis laciniam eadem solutione madefactam imponi jubet. Cum quo et C. HEYFELDER concordat. Collyriis sedulo adhibitis, et oculis caute siccatis, fomenta sicca,

aromatica, levia iisdem superinposita salutarem praebent effectum.

Si sub tussi, sternutatione, nixu infantis, aut inepta oculorum purgatione ectropium nascatur, promptissima palpebrarum in situm normalem repositio postulatur; quo sine palpebra ope digitorum oleo illitorum prope canthos prehenditur, paulum elevatur, et rapide deorsum, introrsumque trahitur: si vero, quod sub hoc stadio saepe fit, sensilitas oculorum ita augeatur, ut palpebrae per blepharospasmus tantopere constrictae, se invicem tegan, tunc acetas morphii ad gr. V in olei amygdalar. drach. j solutus, et regioni supra orbitali inunctus laudabilem effectum exerit.

Cura ophthalmoblennorrhoeae neonat. ubi malum palpebris non contentum ad oculum ipsum propagatur, a priori nonnisi gradu intensitatis differt; in primo itaque stadio praeter hirudinis unius, alteriusve adplicationem juxta HEYFELDER regioni orbitali unquentum Hydr. cinereum infricare consultum, quod praecipue valet, si malum a fomite syphilitico originem sumsisse suspicari liceat.

Stadio autem secundo ad excedentem mucii secretionem corrigendam dosis stipticorum in collyriis augenda; sub quo rerum statu lapis divinus, et argentum nitricum salutarem nonnunquam fert medelam. Si mucii secretio pedetentim cesset, et pertinax conjunctivae luxuriatio, palpebrarumque laxitas supersit, oxydum Hydr. rubrum, aut mercurius praecipitatus albus forma unquenti adhibenda.

Ubi vero ulcera in conjunctiva scleroticae, vel corneae formantur, Cel. BEER laudanum liquid. *Siedenhami* oculis de die bis ope penicilli illiniendum curat. In quo casu et decoctum chinae cum gr. semis muriatis Hydr. corros. et pauxillo tincturae opii commendari meretur. Vesicans, quod nonnulli ad limitandam suppurationem retro aures imponendum proponunt, si non superfluum, certe pro infantibus tenellis dirum videtur remedium.

Quod *remedia interna* attinet, haec sub lippitudine superflua sunt; loco purgantium a nonnullis in perniciem infantum adhibitorum clysmata emollientia sufficiunt; sub morbi gradu altiori, ubi vires tenellorum per secretionem mucii profusam saepe periclitantur, lichenis, chinae, cum naphthis usus non raro necessarius evadit.

Ad *convalescentiam* promovendam lac maternum, aut nutricis generosum plurimum valet, quas nunc cibis analeptics, leniter aromaticis vesci oportet, cum horum virtutem et infantes experiri constet; hac panacea periculo atrophiae, quod in sequelam morbi saepe incurrunt, optime eximuntur, et accedente aëris salubritate, et lucis moderate a recidiva tutissime praeservantur.

Aphthae Neonatorum.

Aphthae neonat. sistunt morbum membranae mucosae exanthematicum, sub forma vesicularum, vel ulcusculorum cum superficie lardacea, spongiosa, cavum oris, faucium, aut totum intestinalem tractum, nec non raro mucosam pudendorum muliebrium membranam obsidentium. Morbus plerumque localis, afebrilis est, nonnunquam tamen ad majorem in — et extensionem evehitur, totum in compassionem trahit organismum; febris stipatus incedit. In regionibus humidis, udis, frigidis, praepriis Hollandiae endemicus, frequentissimus, juxta *Van Svieten* sub zona torrida rarior occurrit, cui tamen asserto *Hillary*, qui eundem in Barbados communem vidit, refragatur.

Aphthae neonat. ab illis adultorum differunt, utpote quae febribus adynamicis, putridis, ubi humores in resolutionem tendunt, ut: typho, febris catarrhali, et saburrali pertinaci se symptomatice jungunt, diversum discrimine plenum observant decursum, et diversam therapiam exposcunt.

Corripit morbus infantes primis frequenter a nativitate diebus, quamvis et tardius tempore lactationis ab eodem non eximantur. Decursus morbi in tria dispesci potest stadia, nempe in stadium morbi imminentis, effloritionis, et desquammationis; posteriora definitis cancellis difficulter discernuntur.

Prodroma. Ad signa imminentis morbi pertinent inquietudo, agrypnia, vagitus perpetuus, conatus sugendi dolorificus, in cujus signum ubera materna avidè prehensa vagientes mox deserunt; labia, et cavum oris tument, rubent, et calent; respiratio laboriosa, citata, aëris expirati calor auctus, clamor raucus, sibillans; ad haec alvus obstipatur, urina vero mittitur copiosa, et saliva ubertim secernitur. His per aliquot dies praegressis, aut saepe citra ullum integritatis organismi laesae signum supervenit

Effloritio: insurgunt in cavo oris praerubro, aut fere livescente puncta alba, seu phlyctaenulae sero limpido repletæ, variae magnitudinis, primo in alterutro oris angulo, et interna labii superioris facie, mox vero in gingiva, palato, lingua, buccis, et uvula ita, ut totum oris cavum quasi sale inspersum appareat; vesiculae haec prius solitariae sub ulteriori morbi progressu sensim ampliantur, et confluent, membranamque formant albicantem, qua tota oris et faucium superficies obvelatur; augetur salivae secretio, quae ore hiante non raro vestigiis sanguinis tincta fluit, ad haec tumor membranae mucosae increscit; si aphthae per laryngem, et tracheam descendant, associat se tussis, respiratio difficilior, vox evadit rauca, vel tinniens,

metallica, quae nonnunquam suffocationis periculum minantur.

Infantes ob ardentem in oris cavo dolorem ubera reformidant, et si quod sugunt, lac ob deglutiendi difficultatem saepe protinus rejicitur, aut indigestum per alvum ruit. Accedit non raro singultus; dolores colici, diarrhoea viridis, quae omnia morbi per totum intestinalem tractum extensionem indicant; quod praeprimis autumari licet, si aphtharum squammae forma membranularum per anum ejiciantur, aut aphthae ipsum ani orificium obsident.

Quod aphthae saepe canalem alimentarem petant, juxta HEYFELDER sectiones pathologicae confirmant, qui easdem per oesophagum usque ventriculum, et hinc per intestinum ileum usque coecum diffusas vidit; imo ubi adfectionis primarum viarum symptomata praecedunt, et subin aphthae in oris cavo erumpunt, eas ex tractu intestinali huc propagatas fuisse a probabilitate non abludit.

His rerum adjunctis se associat febris, augetur inquietudo, et agrypnia, infantes toto corpore calent, praeprimis facies; cavum oris semper magis tumet, et calet, crustae aphtharum sensim exsiccatae arent, facultas sugendi, et deglutiendi penitus suffertur, functio primarum viarum infringitur, et infantes contabescunt; aut vero aphthae colorem luridum, bruneum, vel nigrum adquirent, in gangrenam transeunt, sub crustis accumulatur ichor, qui partes subjacentes erodit; observatur diarrhoea ichorosa, cruenta, humores totius corporis acredine corrumpuntur, et febris putrida, colliquativa, morbi et vitae scenam claudit.

Desquammatio. Post aliquot ab eruptione dies aphthae secundum normam exarescunt, a subjacente membrana mucosa solvuntur, et decidunt, plerumque primo in interna labii superioris facie, et linguae apice; remanet plaga praerubra, sensilissima, in qua frequentissime novae efflorescunt aphthae, novum floritionis, et desquamationis cyclum absolventes; cum autem morbus 5, et pluribus saepe vicibus, unde exiit, redeat, et pustulae exsurgant, dum aliae desquamantur, distinctus inter stadium effloritionis, et desquamationis limes assignari vix potest.

In signum novae eruptionis plaga a crustis deciduis relicta, mucosissimo albedo tecta, coeruleo, aut arida evadit; si vero plaga haec laete rubeat, et a peripheria centrum versus normalem adquirat colorem, vaporemque serosum exhalet, nova eruptio minus timenda, quamvis tribus, et pluribus a desquamatione diebus nonnunquam denuo erumpant. Ceterum tumor, rubor, et sensilitas partium nonnisi sensim mitigatur, et morbus faventibus adjunctis in recidivam pronissimus observatur; decrescentibus tamen his symptomatibus sugendi, et deglutiendi facultas redit, infantes ubera pleno ore hauriunt, et restaurantur.

Aetiologia. Dispositi hunc in morbum sunt infantes tenelli, vel pastosi, a parentibus nota syphilitica, aut scorbutica affectis progeniti, et praeprimis illi, qui victu artificiali aluntur; hanc dispositionem in aucta canalis alimentaris, per novum post partum nutritionis modum, activitate, et obtinente nunc primum inter cutem externam, et membranam mucosam tubi intestinalis antagonismo radicari verosimile est. Juxta *Heyfelder* observationem dispositio haec tempore aestivo, coelo humido regnante multo major, quam hyeme rigida advertitur.

Causae excitantes ad sequentia reduci possunt: omnium prima notabilis immundities, neglecta vernicis caseosae per balneum tepidulum ablutio, incongrua parvulorum pabulatio, dum offa tenaci, glutinosa infarciuntur, quae digestu difficilis in fermentationem facillime ruit; neglecta oris post pastum repurgatio, cum particulae ciborum in cavo oris haerentes corruptae teneram hic loci membranam mucosam irritent; idem de lactatione, et perversa nutricum consuetudine, qua infantes, usque dum somno opprimantur, ad ubera haerere sinunt; dum enim hi lac automaticè sugunt, sed deglutire negligunt, illud in oris cavo corrumpitur, acescit, et saepe hujus morbi fomitem gignit.

Confert quoque ad hunc morbum generandum lac nimis pinque, acescens, aut per animi adfectus depravatum; hinc nutricum in victu pinqui, acido, aromatico excessus, potuum spirituosorum abusus; mentionem quoque merentur laciniae pulve quadam dulci infartae, quibus infantes ad sitim male fallendam consopiuntur, quaeve aphthis crebro ansam praebent. Saepe vero refrigeratio causam morbi sistere videtur. Ad haec referuntur, aër humidus, frigidus, exhalationibus cujuscunque generis inquinatus; alvi obstipatio; praeprimis neglecta meconii eductio.

Nonnulli, ut *RICHTER*, et *VOGEL* morbum hunc per infantem papillis mammaram, et ex his alteri infanti sano communicari posse asserunt, quibus *HEYFELDER* propriam experientiam in *Brepharotrophio* Parisiensi captam opponit, nullum contagium fixum subesse credens; ad explicandam tamen hoc loco morbi frequentiam; et malignam ejus indolem una cum *GIRTANNER* sub perversa aëris constitutione, et adversis rerum adjunctis miasma evolvi, morbumque infantibus sanis in eodem conclavi decumbentibus communicari posse putat.

Quod proximam morbi causam attinet, haec penitus eruta non est. Varii Auctores varia hanc in rem asserunt: sic *HUFELAND* morbo *peculiarem* membranae mucosae in canali alimentari reproductionis anomalam subesse ratus est; *JAHN* eundem in asthenia glandularum mucipararum ejus membranae situm esse dicit; alii fomitem peculiari fermentatione acescente generatum statuunt; alii denique

aphthis idem cum miliaribus fermentum tribuunt, eas crises productum a miliaribus non nisi per membranae mucosae organisationem diversam constituere affirmantes, quod tamen verosimile haud est; cum crisis stricte talis absque febris nunquam, aphthae vero afebriles frequenter occurrant.

Ceterum a verisimilitudine non abludit, morbum adfectionem membranae mucosae inflammatoriam, exanthematicam, per humorum in cavo oris, et a tractu intestinali secretorum, aut forinsæcus ingestorum acorem, idiopathicè provocatam sistere, quae non nisi sub altiori phlogoseos gradu, aut eminente gastrismo, nec non sub eo morbi stadio, ubi humores in colliquationem tendunt, febris stipata occurrit, et hanc febrim ut mere symptomaticam, et accidentalem esse considerandam.

P r o g n o s i s. Haec pro ratione individui, morbi causa, intensitate, caractere, et complicatione, nec non ejus duratione variat.

Infantes uterum maternum nunc primum egressi, imbecilles, aut cachexiae germen in se gerentes aegrius decumbunt, ii quoque, quibus ubera materna denegantur, morbum atrociorum experiuntur, et periculum difficilius evadunt.

Si morbi causae excitantes mitius agant, et sat cito amoveri possint, morbus facile infringitur, praesertim sub faustis rerum adjunctis, ubi infantibus sedula attentio, et strenua cura devovetur, praestarique potest.

Morbi intensitas ad ferendam prognosim plurimum confert; si morbus angustis circumscribatur limitibus, pustulae segregatae exsurgant, laetior erit prognosim; si vero confluentes cavum oris instar membranae spongiosae obducant, et per oesophagum descendentes, totum alimentarem tractum occupent, ob functionem hujus impeditam morbus discrimine plenus evadit. Hinc colica, singultus, vomitus, diarrhoea profusa, qua crustae aphtharum copiosae ejiciuntur, aut lienteria, signa sunt perquam ominosa. Aphthae praeterea albae, attactu spongiosae, humescentes, benignae compellendae; brunescens enim, et nigrae, aridae, plerumque ichore subruuntur, et partium cangrenam minantur.

Febris, cum non nisi graviorem morbum designet, et facile in characterem depascentem declinet, infaustum statuere jubet augurium; idem sub morbi complicatione cum ictero, aut blepharoblennorrhoea.

Quoad durationem, morbo adhuc in principio existenti multo facilius fertur medela, quam si chronicum minatur decursum, et plures jam fecit recidivas; anni quoque tempus in prognosi attentionem meretur; siquidem tempore aestivo morbus multo atrociorum induat indolem, facileque perniciosus evadat.

In genere duratio morbi varia est, levior saepe paucis absolvitur diebus, dum ad gradum altiorum evectus per-

hebdomades; imo menses decurrere solet, quo infantes saepe per famem, aut materiae organicae, et virium impeditam restaurationem in vitae discrimen conjiciuntur; adjunctis sub adversis nonnunquam dirum in modum saevit, cujus asserti testis est HEYFELDER, juxta quem in Brephtarotrophio Parisiensi quotannis 600 infantes hoc morbo correpti numerantur, ex quibus 500 fere decedunt.

Therapia. Antequam morbi therapia exponatur, de illius prophylaxi quaedam dicenda; morbum enim gliscentem praevnere, quam saevientem refroenare satius est.

Prophylaxis. Ad praecavendum, ne infantes hunc in morbum proni evadant, praeter aëris salubritatem, et omnigenam munditiem, lactis, quod sugunt, conditio, et lactationis, aut artificialis nutritionis modus multum confert.

Infanti jus, quod a natura habet, ubera materna sugendi non negetur; si autem per matris infirmitatem nutritrix necessaria evadat, in ejus delectu debita circumspectio parentibus cordi sit, ne infans ex uberibus conductis novercam futurae vitae sortem hauriat; ante omnia autem nutricis lac aetati prolis respondeat. Lactationis insuper norma observetur; prava igitur illa nutricum consuetudo, qua vagienti proli ubera confestim obtrudunt, strenue inhibenda; lac enim optimum licet, nimia tamen quantitate haustum ventriculum gravat, et indigestionis causa est. Quo autem lac infantibus salutare praebeat alimentum, nutrices diaetam stricte observent, animi adfectus evitent, et lac per hos fors depravatum uberibus subtrahant, priusquam infantes admoveant, mammas praeterea semper mundas prolibus propinent, et post quamvis lactationem os parvulorum aqua munda frigidiuscula eluant, quae partes roborat, et a morbo hoc tutissime praeservat.

Sub artificiali prolium nutritione alimentorum optime fluidorum selectus infantum aetati sit convenientissimus, in genere cibi, qui non facile aceſcunt, seligantur, et praeprius gula, frequentissima hujus mali causa, evitetur.

Si meconium ex defectu colostri alvo haereat, teste HUFELAND, ad illud evacuandum, serum lactis sufficit; si autem voto non responderet, syrupus cichorei cum rheo, addita magnesia optatum praestabit effectum. Huic scopo et clysteres ex sero lactis, aqua cum mele, parca quantitate, sed saepe injecti satisfaciunt.

Si autem signa indigestionis adsint, venter infantum turgeat, ructus, vomituritiones, tormina, eos vexent, lingua, faucesque rubeant, saliva copiosa fluat, verbo si prodroma morbi imminentis in conspectum prodeant, prophylaxis circa id versari debet, ut sordes acescentes e canali alimentari protinus eliminantur, quarum evacuatione saepe feliciter morbo obviatur, et aphtharum eruptio praepeditur; cum his neglectis, morbus exardescens saepe atro-

cem induat indolem, quo saeviente, evacuantia praepostere, et ob mali exasperationem in perniciem infantum adhibentur.

Hunc in finem pro turgescencia sordium sursum, vel deorsum, emeticis, aut laxantibus utendum; scopo emeseos infantibus optime vinum stibiatum HUXHAMI ad guttas V—X exhibetur; ad catharsim vero ciendam, syrupus cichorei cum Rheo, magnesia, calomel, deserviunt. *Bretanneau* Gallus muriati hydr. miti in praeventendis aphthis, prout in angina membranacea virtutem specificam tribuit, qui ad infringendam phlogosim, et praecavendam, ut dicit, exsudationem potentissimum est remedium, quod magna statim dosi exhibet.

Cura therapeutica. Indicationes in curandis aphthis duae in genere statui possunt, nempe, ut crustae earum emolliantur, separentur, et decidant, secretioque membranae mucosae corrigatur; dein vero ut partes adfectae roborentur, et nova aphtharum eruptio praecaveatur.

Varia hunc in finem remedia proposita sunt; inter localia decoctum althaeae radice, mel rosarum, succus expressus sempervivi majoris, betae rubrae, carotae, raffani, cum sacharo, *syrupus mororum*, *aqua calcis*, *borax*, *vitriolum album*, *acidum sulfuricum*, *muriaticum*, et *oxymuriaticum*, *alumen*, *terra japonica*, praecipuum locum sibi vindicant.

Ut cura hujus morbi optato cum successu instituat, ad characterem illius eminenter phlogisticum, aut magis asthenicum, vel indolem non raro phagedaenicam attentio convertenda; promiscuus enim remediorum, esto laudatissimorum usus, saepe damnum irreparabile parat; arguteque inquirendum, an aphthae oris cavo restringantur, vel vero per totum alimentarem tractum se se diffundant.

Quam ob rem si paginae oris eminenter tumeant, ru-beant, doleant, aut crustis aphtharum aridis confertim obsideantur, molestaque oris siccitas adsit; nemo excitantia, aut tonica, stiptica adhibebit; sed mucilaginosi meris tepidulis crustas aphtharum emollire, dolorosamque oris tensionem sublevare satagat, quo crustae ocyus labantur, et ulceratio antevertatur. Hunc in finem emulsionem gummi arabici, tragacanthae, solutio sachari, mucilaginis seminum Cydon. tepidula, decoctum althaeae radice, furfurum, seminum lini, caricarum, aequae tepidulum inserviet, quo os parvulorum sedulo eluendum, et fovendum erit.

Si vero lingua, gingiva, fauces spongiose turgeant, rubor in livescentem vergat, crustae aphtharum cinerescentes pulposae efflorescant, et saliva viscida, copiosa fluat, partes, roborandi, et secretionem corrigendi indicatio est. Ad hunc scopum praeter vulgaria remedia: succum carotae, raffani, citri, decoctum salviae, cum sacharo, aut melle despumato mixtum, orique illinendum; celebratis-

simum remedium est *borax*, vitriolum album, acidum sulfuricum, muriaticum et oxymuriaticum. Tale remedium est: ex boracis drach. j cum unc. j melis rosarum mixtum, et saepius de die ope penicilli partibus adfectis illinendum.

LENTIN boracis scrup. j. in aquae plantaginis unc. ij. solvendum, succi expressi sedi majoris drach. jj. addendo exhibet. Juxta STARKE spiritus cochleariae partes V, cum succi citri parte j, addita mucilagine sem. Cydon. vel syrupo mororum optatum praestat effectum. BANAU decoctum corticis ulmi solum adhibet.

PLENK vitriolum album ordinat sub hac formula: Rp. Vitrioli alb. gr. X. aq. cochleariae unc. vj. melis rosar. syrupi moror. \overline{aa} . unc. j. m. d. s. partibus adfectis illinendum. HENKE Vitrioli alb. gr. V in decocti salviae unc. jv. solvi jubet; aut vero syrupum mororum cum gutt. XXX acidi sulf. diluti praescribit; cum quo et RICHTER concordat. BRETANNEAU acidi oxymuriatici parte j, pro jv syrupi alicujus partibus utitur.

Ubi autem aphthae malignam indolem praeseferunt; crustae earum nigrescunt, et ulcera impura relinquunt, partesque in gangrenam tendunt, stiptica potentiora, antiseptica in auxilium vocanda sunt, ut: alumen, succus catechu, liquamen myrrhae, aqua calcis, china. Juvabit partes adfectas solutione ex aluminis drach. semis in aq. dest. unc. iij saepius alluere, et fovere. Idem praestat acidum oxymuriaticum cum mele rosarum; aut juxta PLENK Rp. Extract. chinae, terrae japonicae, spiritus salis acidi \overline{aa} drach. semis, syrupi moror. melis rosar. \overline{aa} unc. j. m. d. s. ori illinendum. VOGEL mixtura ex liquaminis myrrh. parte j, cum iij melis despumati partibus ad ulcera depuranda utitur.

Mixtura ALLENI ex aqua calcis, succo catechu, et saccharo saturni constans fini quidem respondet: cum tamen deglutitum noceat, in infantum cura vix commendari potest.

His absolvitur cura localis, ubi morbus oris cavo limitatur; si vero ex supra dictis autumari liceat, aphthas per totum intestinalem tractum diffusas esse, ad symptomata hincinde ominosa consopienda peculiaris attentio convertenda, talia sunt: singultus, diarrhoea profusa, tormina, convulsiones. Horum causa, aphthae scilicet per intestina diffusae, eadem cum prioribus exposcunt remedia, hinc clysteres emollientes, sensilitatem intestinorum obtundentes optimum exerunt effectum; huic scopo emulsiones ex gummi arabico, vitellis ovorum, decoctum althaeae radicis, malvae, salep, vel sola, vel cum parcissima opii dosi conjuncta deserviunt. Decoctis his, dum serius diarrhoea ex intestinorum laxitate continuat, radix colombo, extract. terrae catechu, syrupus diacodii adjungi debet.

Infantibus praeterea saepe potus emolliens, consopiens, diluens, propinetur, qualis est: Decoctum salep,

granorum sago, hordei excorticati, jus gallinaceum; praeter haec saepius de die linctus ex melis rosarum unc. j. cum boracis drach. semis ipsis deglutiendus exhibeatur,

Mater vero, aut nutrix conetur, ut ubera semper lac salubre praebeant, dietam stricte observet, potumque diluentem crebro hauriat; hunc in finem eisdem commendari merentur species pro infuso theato, quales essent: Radix foeniculi, herba foen. chaerophylli, semina anisi, foeniculi, anethi \overline{aa} unc. semis; aut juxta ROSENSTEIN pulvis ex magnes alb. unc. j. sem. foeniculi, cortic. aurant. \overline{aa} unc. semis, saepius de die apice cultri sumendus.

Si vero per decursum morbi omnis deglutiendi facultas infantibus deesset, vires eorum clysteribus nutrientibus, aut balneis ex lacte cum aqua confectis sustentandae erunt.

Ultimo tandem ad roborandas morbo jam fracto partes, et praecavendam recidivam VAN SVIETEN crebram earumdem cum decocto foliorum agrimoniae, et pauxillo melis rosati fomentationem svadet; quod ipsum decoctum chinae, cum, vel sine parca aluminis quantitate praestat.

